

reis
teinfurt

S 248

1161.

[3]

Bischof Friedrich von Münster bekundet einen Gütertausch in den Bauerschaften Lohne, Kpfl. Scheepsdorf, und Legist (Larten im Kpfl. Lingen?) zwischen seinem Ministerialen Hamezo und dem Abt Hildibrand von Marienrode (Wietmarchen).

In nomine sancte et individue Trinitatis. Notum fieri volo ego Frethericus, Dei gratia Monasteriensis episcopus, omnibus presentis et futuri temporis fidelibus, quod dilectus filius noster Hildibrandus abbas de Sanctemariothe conventionem fecit cum Hamezone ministeriale beati Pauli et nostro, ut daret illi pro manso, quem a me in beneficio habuerat, in villa Lon sito mansum

unum in villa, que Legist vocatur situm, quem Hermannus de Capelle et uxor eius Billa cum duabus filiabus suis Deo dicatis sub regali banno hereditibus eorum consentientibus ecclesie sancte Marie contulerant. Et hec conventio per me stabilita est hoc modo: Hamezo sui beneficii mansum in manus meas reddidit ac dimisit et abbas ecclesie sue mansum similiter, et ego Hamezonis mansum mihi redditum cum edificiis et, quicquid illa domus per totam marchiam supradicte ville sub Hamezone habuerat in agris et silvis, in pascuis et aquis, in terra, que teutonice cotland appellatur, abbati et ecclesie sue advocato ad sustentationem pauperum Christi tradidi, et mansum, quem abbas mihi dederat, Hamezoni in beneficium dedi. Porro, ut hec rata et inconvulsa in evum permaneant, cartam hanc conscribi et sigillo meo insigniri feci et, ne quis hec infringere presumat, sub anathemate confirmavi. Actum est hoc anno ab incarnatione verbi M^oCLX^o, indictione IX^a, apostolatus domini Victoris anno II^o, regni gloriosi principis Fretherici anno IX^o, imperii VI^o, sub testimonio fidelium hominum, quorum nomina hec sunt: Engilbertus prepositus, Herimannus prepositus de Varlar; Godescalcus de Lon, Gozvinus de Gamen, Rothulfus de Burclo, Frethericus de Binthem liberi; Heinricus de Dulmania, Ardoldus (!) de Birebeke, Gerloch de Dingeden, Brun de Stochem, Lubbertus de Astbeke, Heinricus socer Hamezonis, Gerardus de Ochtope, Albertus, Robertus, Svetherus, Johannes, Heinricus, Bernardus et multi alii ministeriales.

Orig. Kleinereß Siegel des Bischofs (Westf. Siegel 2, 2), welches wie in Nr. 1 rechts unten aufgelegt war, ab. Überall geschwänztes e statt e (ae). Rückschrift des 15. Jhdts.: Sceepstorpe, toe Loen, Legist cotland. Wohl Postmann zu Scheepsdorf. IX. Kap. I. 2.